

mores reportent, ea quae de conscientia et consilio principum, et aliorum fidelium nostrorum, tam liberorum, quam ministerialium, ad reprimendas incendiariorum insolentias, imperialis nostra sanxit auctoritas, universalis imperii fidelibus nota fieri volumus, et sicut in castro nostro Nuringberg, hac ordinata et confirmata sunt, firmiter iudicimus observanda. Primum igitur de incendiariis demandamus generaliter, ut si liber homo, ingenuus, ministerialis, vel cuiuscumque conditionis fuerit, incendium commiserit pro uerra propria, pro amico, pro parente, vel cause cuiusquam alterius occasione, de sententia et iudicio imperiali, proscriptio statim subiectus habeatur. Hic excipiuntur, si qui forte manifesta uerra castra manifeste capiunt; et si qua ibi suburbia, aut stabula aliave tuguria praerant, igne succendant. Excipiuntur et iudices quos in malefactores poenam iustitia exigente exercere contingit. Quod si aliquis in ducatu alicujus incendium fecerit, ipse proscriptum pronuntiet, ac deinde iustitiae suae auctoritate eum proscribat. Idipsum faciant marchiones, palatini, comites, landgravi, et comites alii, nec alicui eorum liceat talem absolvere, nisi domino imperatori.

Quicumque etiam incendiarium in domo sua scienter receperit, et consilium auxiliumve ei impenderit, damnum et injuriam passo pro facultate sua restituat. Iudici vero x libras monetae de illa diocesi in qua commissum est, persolvat, ac domino imperatori pro voluntate et gratia sua disponat. Si quis autem super hac culpa innocentiam suam probare vel ostendere voluerit, cum duobus viris veracibus culpa in praesentia iudicis se expuret.

Si quis autem cuiquam imposuerit, quod incendiarium receperit, et de hoc ipsum iure voluerit conuenire, hoc nequaquam ei fieri liceat, nisi praestito primo calumniae sacramento. Dominus etiam imperator proscriptorum neminem a sententia proscriptiois absolvat, nisi de illicitis primo damnis cum iniuriato componat, et nisi consciente iudice hoc faciat.

Proscriptum vero, quem pro incendio sententiam proscriptiois incurrisse omnibus notum fuerit, diocesanus episcopus, si ad satisfactionem inobediens extiterit, a communione ecclesiae Dei et fidelium Christi alijciat, et extraneum eum reddat, nec eum absolvat, quoadusque laeso damnum restituat: et e converso, quem episcopus legitimis iudicis citatum iustitia dictante excommunicaverit, et hoc iudici insinuaverit, iudex eam banno proscriptiois condemnet, et nec prius eum absolvat, quam coram episcopo de his pro quibus condemnatus est, satisfaciat. Quod si a proscriptioe illa praedicto modo fuerit absolutus, et episcopo suo voluerit obedire, incendium primo abjuret, deinde sit in arbitrio episcopi, qualem ei poenam injungat, ad visitandum sepulchrum Domini, aut limina Jacobi apostoli. Si autem proscriptus eo, ut dictum est, modo absolvi desideraverit, domino imperatori fines imperii per annum et diem abjuret. Si quis autem a proscriptioe et excommunicatione similiter non fuerit absolutus intra annum et diem, universo iure, honore, et legalitate privatus habeatur, ita ut ferendo testimonio, vel ad iudicandum, de cetero nequaquam sit admittendus. Omni quoque feudali iure carebit perpetuo.

Item si in reisa alicujus domini, cum ipso domino cujus est reisa, aliquis fuerit, qui incendium (ut saepius contingit) faciat, dominus ipse, cujus est ipsa reisa, jurabit super reliquias, quod non fecerit conscientia, vel mandato, vel voluntate sua. Reum autem abijciat a se et nunquam recipiat. Quod si illum post satisfactionem receperit, tenetur universum damnum quod ille commisit, restituere.

Item si contingat dominum aliquem in villa aliqua hospitari violenter, et fortuito evenerit, domum aliquam incendi, et ille cui sit damnum, dominum impetierit, quod mandato suo, vel voluntate, vel conscientia sua factum sit, damnum damnificato restituat.

Item si incendiarius captus fuerit, et coram iudice negare voluerit incendium se commississe, si forte notorium non fuerit, per provinciam iudex si possit eum cum septem idoneis testibus convincere, capite plectatur. Sed si notorium fuerit, nullius requirendum est testimonium, sed statim decollandus. Item si castellani cuiusquam domini descendentes a castro domini sui, incendium fecerint domino absente a provincia, castrum domini propter hoc non erit comburendum, sed bona incendiariorum, quaecumque extra castrum fuerint reperta, comburantur. Post reversionem vero domini, si dominus incendiarium retinere voluerit, et a se non repulerit, castrum ejus similiter erit comburendum. Item si proscriptus propter incendium in aliquam domum confugerit, de qua non possit haberi, nisi domus incendatur, propter hoc incendium non erit qui incendiarius, sed damnum pro incendio restituere debet. Item si incendiarius super castrum aliquod agitatatus confugerit, et dominus, cujus est castrum,

TIT. X. — 1. L. 2. D. de furtim exar.  
TIT. XI. — 1. 2. feud. 55.

fortassis dominus, vel vasallus, vel consanguineus fuerit, dominus ille non debet eum persequentibus representare. Sed juvabit eum a castro in sylvam vel alias, ubi securus sibi videatur. Quod si nec dominus vel vasallus, nec cognatus fuerit, persequentibus eum statim repraesentet, vel eum eo in eadem culpa sit.

Statuimus etiam, et eodem firmiter edicto sancimus, ut quicumque alii damnum facere, aut ledere ipsum intendat, tribus ad minus ante diebus per certum nuntium suam diffidat eum. Quod si laesus diffidat eum se fuisse negare voluerit, nuntius idem si vivus est, juret quod contradixerit ei ex parte domini sui, loco et tempore designato. Si mortuus est nuntius, juret dominus junctis sibi duobus viris veracibus, quod contradixerit ei, ne dolo mediante de fide violata quis valeat inculpari. His scientes adjicimus, ut quicumque treugas alicui dederit, nisi ibi determinatum et exceptum fuerit, quo tenore servet vel non servet eas, contradicere eis ante terminum statutum nequaquam possit. Quod si fecerit, ut violator fidei iudicetur.

Item qui nuntium aliquem, pro eo quod contradicetur mittitur, laeserit, fidem suam violavit, et de cetero omni honore suo carebit, et in posterum nullus ei contradicet. De filiis quoque sacerdotum, diaconorum, rusticorum, statuimus, ne cingulam militare aliquatenus assumant: et qui jam assumpserunt, per iudicem provinciae a militia pellantur. Quod si dominus alicujus eorum cum in militia contra iudicis interdictum retinere contenderit, dominus ipse iudici in x libras condemnetur, servus autem omni iure militiae privetur. Statuimus etiam, ut si quis vineas aut pomaria exciderit, proscriptio et excommunicatione incendiariorum subijciatur. Ut autem haec tam utilis ordinatio omni tempore rata permaneat, et eo quo dicta est tenore inconvulsa consistat, eam legibus praedecessorum nostrorum imperatorum atque regum iussimus interseri, et perpetuo iure servari. Cui si quis ausu temeritatis contra ire praesumpserit, Dei omnipotentis et nostrae perpetuo indignationis sit reus. Fiat, fiat. Actum Nuringberg in praesentia principum, consilio et in consensu eorum. Anno Incarnationis MCLXXXVII, 3 kal. Jan.

TIT. XI.

ALIA CONSTITUTIO EJUSDEM DE PACE COMPONENDA ET RETINENDA INTER SUBJECTOS, ET ALIIS CAPITULIS.

FRIDERICUS Dei gratia Romanorum Imperator, semper Augustus, universis subjectis suo imperio, salutem.

Hac! edictali lege in perpetuum valitura jubemus, ut omnes nostro subjecti imperio, etc.

TIT. XII.

ALIA CONSTITUTIO EJUSDEM FRIDERICI DE PACE CONSTANTIE.

In! nomine sanctae et individuae Trinitatis, Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator semper Augustus, etc.

TIT. XIII.

ALIA CONSTITUTIO FRIDERICI DE JURE HPOTIMHESON.

Sancimus a modo in omni provincia et in omni civitate, si quis ex parentela habeat communem agrum, domum, vel vineam, vel rem immobilem divisi-am, vel indivisam, aut ex communi emptione, vel aliquo hujusmodi titulo, vel alio modo aliquo conjunctim, et voluerit alienare supradictas res per venditionem, vel emphyteusim, vel locationem, non ante liceat ei alienare, quam denuntiaverit illis quos vocavimus per ordinem in jus protimheson. In primis vocentur parentes, qui sunt conjuncti, post hos socii, post hos illi qui sunt conjuncti, etiam si extranei sint, post hos vocentur omnes qui sunt sub uno servitio, et qui sunt conjuncti ex aliqua parte. Sin autem plures sint in iure protimheson, omnibus denuntietur, ut intra triginta dies solvendo justum sine mora aut quantum quisvis emptor sine fraude dederit, unusquisque portionem suam accipiat. Verum si intra statutum terminum justum pre-

TIT. XII. — 1. Infr. de pace Constantie.  
TIT. XIII. — 1. Fac. 2. feud. 26, § 5, vers. Titus.

tium non solverit, de cetero non habebit jus protimheson, nisi si quis eorum erat in captivitate, vel deportatus, vel in exilium missus, vel absens reipublica causa, aut ex propria sua causa, vel minor viginti quinque annis: et licet isti fuerint absentes ex justa causa, tamen tutores eorum, vel curatores, vel procuratores, vel defensores intra quatuor menses debent venire et solvere justum pretium cum legitimis usuris et expensis necessariis, et accipere jus protimheson, et extraneos emptores omnimodo expellere, et si neglexerint hoc facere, sarcient de propriis suis quicquid incommodi illi habuerint. Licet autem supra diximus omnes vocari ad jus protimheson, tamen si probatum fuerit quod atroces injurias vel manus impias venditori vel ejus familiae intulerint, vel ipsius substantiae gravem jacturam moliti sunt, vel contra ejus vitam nisi sunt, omnes isti nullo modo sine voluntate venditoris ad jus protimheson veniunt. Ex causa tamen dotis vel donationis propter nuptias vel simplicis donationis vel donationis causa mortis vel ex testamento, permutatione, transactione, et parentes et extranei omnes possunt alienare, nisi quis vendendo vel locando ei qui non habuit jus protimheson simulate donaverit vel legatum dederit. Ideoque illi qui habent jus protimheson, possunt exigere juramentum a venditore et emptore, et post juramentum si probatum fuerit contra constitutionem nostram simulate hoc fecisse venditorem et emptorem, rem et pretium perdet, et fisco applicabitur, fisco autem vendet rem illam illis qui habent jus protimheson. Sed si ante juramentum probatum fuerit hoc eo fecisse, venditio erit irrita, et venditor cogetur invitus vendere illis qui habent jus protimheson. Prohibemus autem potentiores personas aliquid accipere praetextu adoptionis, vel donationis simplicis aut causa mortis, ex testamento, vel ex usucapione, aut sub praetextu defensionis, nisi forte parentes fuerint. Potentiores autem dicimus, qui non tantum per se, sed etiam per propinquos possint inferre timorem alienatoribus, aut promissionem beneficii. Quod si aliquis ex potentioribus hoc praesumpserit facere, sit alienus ab illa re, et aestimationem illius rei praestet fisco. Transcuro tamen decennio sine denunciazione nulla de cetero moveatur controversia illis qui possident ex aliquo contractu vel ex donatione vel ex testamento, ab illis qui habent jus protimheson vel etiam fisco.

TIT. XIV.

ALIA EJUSDEM DE JURE HPOTIMHESON.

Quam omnibus hominibus qui legibus reguntur et moribus, praecipuum esse constet, jus suum cuique tribuere, nec cuiquam jus suum detrahere; libertatis procedente gratia qua naturaliter quod cuique facere libet, nisi quid vi aut jure prohibetur, est concessa facultas, res suas unicuique liberum esse aut propter nuptias donationis, aut dotis, aut simplicis donationis aut cujuslibet alienationis aut ultima voluntatis dispositionis causa sive testamentario jure in alium transferre, non est ambigui juris. Sed quoniam et jure praecipitur, honeste vivere, alterum non ledere, ne hi qui cognitione vel communione, vel aliquo propinquitatis modo eorum qui vendunt urbanis rusticisque praediis adhaerendo ab his qui intrumiseantur, ledantur, vel aliter ipsa venditione impediuntur, jure protimheson praeferrere sancimus, etc.

TIT. XV.

NEAPA POMANOY TOY GEPTONOS, PERI EKPOIHESON KTHMATON kai protimheson synggenon, kai koinonon, kai anamegmeton kai symperakemeton hmetelon, kai synaptos hnomion kai ton nomion hmetelon chorion, kai agrion, kai kolymaton, dunaton, prosopion, kai ikpenti-seos stratiotikon kthseos.

Παλαιός νόμος ἐστίν, ἵνα μηδεις, etc.

Vocantur hac constitutione in jus protimheson cognati primum consor-

FEUDORUM FINIS

tes, veluti fratres, qui paterna praedia pro diviso aut pro indiviso possident, hi sunt qui dicuntur oi anakiz syngkemetoi syngketeis, auctoribus Graecis interpretibus, qui et inde adnotant recte consortes extraneos praeferrere cognatis non consortibus. Post cognatos consortes vocantur socii, deinde qui rem communem habent citra societatem, sive sint cognati sive exteri, tum ii qui communi census vinculo tenentur, licet non eodem loco censum exsolvant, postremo vicini et confines. Hi testato denuntiandi sunt antequam venditio fiat extraneo. Denunciatis datur mensis, procuratoribus eorum menses quatuor, non denunciatis decennium, dominis emphyteuson et feudorum longe alia tempora, l. ultima Cod. de jure emphyt. et supra 2. titul. 9, et ii qui praesentes venditioni adfuerunt, et tacerunt, ut interpretes Graeci adnotant rectissime, nec venditioni consensisse, nec pro denunciatis habentur, l. Titia, § Lucia, D. de leg. 2, l. Gajus D. de pign. act. Consensu amittitur jus protimheson, et praescriptio temporis, et ingratitudine sive indignitate. Datur etiam hac Novell. jus protimheson convicanis, secundum l. 1, C. non lic. habu. metr. Est et aliud hac Novell. caput de locupletioribus et potentioribus, ut ne quid ex bonis tenuiorum acquirant en tui chorios h agridiotis en eis oia egron idia kthmata, ut explicatius enarrant interpretes. Non igitur nisi anakimheson, aut pntimheson jure et ad definitionem potentiorum, Novell. Constantini Porphyrogenete peri dunaton ton eiselotheton eis kthton penhton, declarat nihil interesse potentior sit qui emerit, an is qui potentiori domesticus sive προσκειωμένος fuerit, Fridericus male propinquus. Igitur ne potentiores quidem derogare possunt juri protimheson, quinimo severius cum his agitur; nam neque donationis aut testamenti aut transactionis aut patrocinii aut adoptionis jure ad bona tenuiorum pervenire possunt. Sed eadem et hos quae superiores tuetur praescriptione decennii.

Postremum caput vetat alienationem praediorum militarium: quod omnino pertinet ad feuda, et consentit etiam cum Friderici et Lotharii constitutionibus, ne milites per inopiam muneribus militaribus reddantur inhabiles, publice depereat census qui eo nomine dependi solet; quae de re visum etiam est proponere Novellam Constantini Porphyrogenetae

TIT. XVI.

NEAPA KONSTANTINOY PORPHYROGENETOY PERI STRATIOTON.

Ὡσπερ ὁμοιωτι κεφαλή, etc.

Ut Lotharii et Friderici constitutione feuda nullo modo possunt a militibus alienari, ita nec ea praedia militaria quae relata sunt in codicibus militares ex hac constitutione, quae feudis comparamus. Caetera autem quae codicibus militaribus absunt, possunt alienari usque ad certum modum, puta secundum ejus distinctionem, si modo retineat sibi tantum ex iis miles quantum conficiendis quatuor vel duabus libris auri sufficiat, ne scilicet omnino redactus ad inopiam, et militiae reddatur inutilis, quae est etiam ratio constitutionum Lotharii et Friderici. Sed hoc distabant illa praedia militaria a feudis, quod illa a nemine recognoscant, quippe cum eorum essent milites pleno jure domini, et consequenter quod alienatione aliis non aperirentur, sed illis ipsis restituerentur. Caeterum ut Fridericus nullam censet emptori praescriptionem temporis optulari posse, quominus venditio rescindatur, ita nec Constantinus, nisi xl annorum, quasi scilicet omnis qui ea praedia emerit in eo pro male fidei possessore habeatur, l. 7, C. de agr. et cens. licet in fructuum et ejus quod interest ratione distinguat inter bonae et male fidei emptorem, sicut Fridericus in pretii repetitione. Et praeterea longi tantum temporis praescriptionem excludere Fridericus voluit. Militibus hac sive novella sive edicto Constantinus adnumerat causarios, et quid juris sit si praedia miles a milite emerit, definit, et alia quadam.

TIT. XIV. — 1. L. 10, § 1, D. de justitia et jure. — 2. § 1. Inst. de jure person. — 3. Tit. 15, supra.



FRIDERICI SECUNDI IMPER.  
CONSTITUTIONES

INCIPIUNT.

TIT. I, vel TIT. XVII.

*De statutis et consuetudinibus contra libertatem ecclesiarum editis, et immunitate locorum religiosorum ubique morantium et fori privilegio, et Gazariis, et Patarenis, et aliis haereticis, eorumque successoribus, et navigiis peregrinis, et advenis quocumque locorum hospitantibus, eorumque successoribus, et de agricolarum securitatibus.*

FRIDERICUS Dei gratia Romanorum imperator, semper Augustus, marchionibus, comitibus, cunctisque populis, quos clementiae nostrae regit imperium, salutem et gratiam.

In die qua de manu sacratissimi patris nostri summi pontificis recepimus imperii diadema, curavimus ad Dei et ecclesiae suae honorem, edere quasdam leges, quas in praesenti pagina jussimus annotari, per totum nostrum imperium publicandas. Per imperialia vobis scripta praecipiendo mandamus, quatenus eas quisque literas in suo districtu irrefragabiliter et inconcussa servet.

*Et sunt haec leges.*

Ad decus et honorem imperii, et laudem romani principis nihil omnino magis videtur accedere, quam ut expurgatis quibusdam erroribus, et iniquis quorundam statutis penitus destitutis, de caetero ecclesia Dei plena quiete vigeat, et secunda gaudeat libertate. Sane adeo infidelium quorundam et injustorum iniquitas abundavit, ut non dubitent contra apostolicam disciplinam, et sacros canones statuta sua confingere, contra ecclesiasticas personas, et ecclesiae libertatem. Cum ergo dispositione divina favente nihil velit ecclesia (quae nihil debet praeter bonum appetere) quod nobis eodem concursu et eadem non placeat voluntate.

§ 1. Nos<sup>1</sup> Fridericus Romanorum imperator, semper Augustus, hac edictali lege irritamus, et irrita nuntiamus omnia statuta et consuetudines, quae civitates, vel loca, potestates, consules, vel quaecumque aliae personae contra libertatem ecclesiae, vel ecclesiasticas personas edere, vel servare adversus canonicas vel imperiales sanctiones praesumpserint: et ea de capitularibus suis mandamus intra duos menses post hujus publicationem edicti penitus aboleri: et si de cetero similia attentaverint, ipso jure decernimus esse nulla, et eos sua jurisdictione privatos, superiori protinus applicanda: necnon locum ubi deinceps talia praesumpta fuerint, banno mille marcharum praecipimus subjacere: potestates vero, consules, rectores, statuarii, et scriptores ditorum statutorum, necnon et consiliarii locorum, ipsorum, qui secundum statuta vel consuetudines memoratas judicaverint, sint ex tunc ipso jure infames: quorum sententias et actus alios illegitimos praecipimus aliquatenus non tenere. Quod si per annum hujus nostrae constitutionis inventi fuerint contemptores: bona eorum per totum nostrum imperium mandamus impune ab omnibus occupari: salvis nihilominus aliis penis contra tales in generali concilio promulgatis. — § 2. Item nulla<sup>2</sup> potestas, vel persona publica, vel privata collectas sive exactiones<sup>3</sup> angarias, vel parangarias ecclesiis, vel aliis piis locis, aut ecclesiasticis personis imponere, aut invadere bona ecclesiastica praesumant: quod si fecerint, et requisiti ab ecclesia, vel ab imperio, emendare contempserint, triplum refundant: et nihilominus banno imperiali subjaceant: quod absque satisfactione debita nullatenus remittatur. — § 3. Item<sup>4</sup> quaecumque communitas, vel persona per annum in excommunicatione facta propter libertatem ecclesiae praestiterit, ipso jure imperiali banno subjaceat: a quo nullatenus extrahatur, nisi prius ab ecclesia absolutus fuerit. — § 4. Item<sup>5</sup> statuimus, ut nullus ecclesiasticam personam in criminali questione vel civili trahere ad iudicium seculare

praesumat, contra constitutiones imperiales, et canonicas sanctiones. Quod si fecerit, actor a jure suo cadat, et iudicatum non teneat: et iudex sit extunc iudicandi potestate privatus. Statuimus enim, ut si quis clericis vel personis ecclesiasticis justitiam denegare praesumpserit tertio requisitus, suam jurisdictionem amittat. — § 5. Gazaros<sup>6</sup>, Patarenos, Lenonistas, Speronistas, Arnaldistas, Circumceisos, et omnes haereticos utriusque sexus, quocumque nomine censeantur, perpetua damnamus infamia, diffidamus atque bannimus, praecipientes, ut bona talium confiscentur, nec ad eos ulterius revertantur: ita quod filii ad successiones eorum pervenire non possint: cum longe gravius sit aeternam quam temporalem offendere majestatem. Qui autem inventi fuerint sola suspitione notabiles, nisi ad mandatum ecclesiae, juxta considerationem suspicionis, ac qualitatem personae, propriam innocentiam congrua purgatione monstraverint, tanquam infames et banniti ab omnibus habeantur: ita quod si sic per annum manserint, extunc eos sicut haereticos condemnamus. — § 6. Statuimus<sup>7</sup> etiam hoc edicto in perpetuum valituro, ut potestates, consules, seu rectores, quibuscumque fungantur officis, pro defensione fidei praesent publice juramentum, quod de terris sua jurisdictioni subjectis universos haereticos ab ecclesia denotatos, bona fide pro viribus exterminare studebunt, ita quod a modo, quandocumque fuerit quis in potestatem, sive perpetuam, vel temporalem, assumptus, hoc teneatur capitulum juramento firmare: alioqui nec pro potestatibus, nec pro consulis habeantur: et eorum sententias irritas extunc decernimus et infames. — § 7. Si<sup>8</sup> vero dominus temporalis requisitus et admonitus ab ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab haeretica pravitate: post annum a tempore admonitionis elapsum, terram illius ipsis exponimus catholicis occupandam: qui eam exterminatis haereticis, absque ulla contradictione possideant, et in fidei pietate conservent: salvo jure domini principalis: dummodo super hoc nullum praestet obstaculum, nec aliquod aliud impedimentum opponat, eadem nihilominus lege servata contra eos qui non habent dominos principales. — § 8. Credentes<sup>9</sup> praeterea, receptatores, defensores, et fautores haereticorum bannimus, firmiter statuantes, ut si postquam quilibet talium fuerit ab ecclesia excommunicatione notatus, satisfacere contempserit intra annum, extunc ipso jure sit factus infamis, nec ad publica officia seu consilia, vel ad eligendum aliquos ad hujusmodi, neque ad testimonium admittatur, sit etiam intestabilis, ut nec testandi liberam habeat facultatem, nec ad haereditatis successionem accedat. Nullus praeterea ei super quocumque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quod si forte iudex exstiterit, ejus sententia nullam habeat firmitatem: nec cause aliqua ad ejus audientiam perferantur. Si fuerit advocatus, ejus patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, instrumenta per eum confecta nullius penitus sint momenti. — § 9. Navigia<sup>10</sup> quocumque locorum pervenerint, si quo casu contingenti rupta fuerint, vel aliter ad terram pervenerint, tam navigia ipsa, quam navigantium bona, illis integra reserventur ad quos spectabant, antequam navigium illud periculum incurrisset, sublata omnium locorum penitus consuetudine, quae huic adversatur sanctioni, nisi talia sint navigia, quae piraticam exercent pravitatem, aut sint nobis vel Christiano nomini inimica. Transgressores vero hujus nostrae constitutionis, honorum suorum publicatione multentur: et si res exegerit, eorum audacia juxta mandatum nostrum modis aliis comescatur. — § 10. Omnes<sup>11</sup> peregrini et advena libere hospitentur ubi voluerint: et hospitati, si testari voluerint, de rebus suis ordinandi liberam habeant facultatem: quorum ordinatio inconcussa servetur. Si qui vero intestati decesserint, ad hospitem nihil perveniat: sed bona ipsorum per manus episcopi loci tradantur haereditibus, si fieri potest: vel in pias causas ero-

TIT. I. — 1. Authent. Cassa, C. de sacros. eccles. — 2. Authent. Item nulla, C. de episcopis. — 3. Fidei tamen L. 7, C. de sacros. eccles. — 4. Authent. Item quaecumque, C. de episcopis. — 5. Authent. Statuimus, C. d. t. — 6. Authent. Gazaros, C. de haeretico et manich. —

7. Authent. Statuimus, C. de episc. aud. — 8. Authent. Si vero dominus, C. de haeretico. — 9. Authent. Credentes, C. d. t. — 10. Authent. Navigia, C. de fortis. — 11. Authent. Omnes, C. commune, de successione.

gentur. Hospes vero si aliquid de bonis talium contra hanc constitutionem nostram habuerit, triplum episcopo restituat, cui visum fuerit assignandum: non obstante statuto aliquo, seu consuetudine, seu privilegio, quae hactenus contrarium inducebant. Si qui autem contra praesumpserint, eis de rebus suis testandi interdicimus facultatem: ut in eo puniantur, in quo deliquerint: alias prout culpa qualitas exegerit, puniendi. — § 11. Agricultores<sup>12</sup>, et circa rusticitatem occupati, dum villis incident, dum agros colunt, securi sint quacumque parte terrarum: ita ut nullus inveniatur tam audax, qui personas, vel boves, agrorum instrumenta, aut si quid aliud sit quod ad operam rusticalem pertinet, invadere, ca-

12. Authent. Agricultores, C. quae res pigno. oblig.

pere, aut violenter auferre praesumat. Si quis autem hujusmodi statutum ausu temerario violare praesumpserit, in quadruplum ablata restituat, infamiam ipso jure incurrat, imperiali animadversione nihilominus puniendus. — § 12. Nos vero Honorius episcopus, servus servorum Dei, has leges a Friderico Romanorum imperatore filio nostro charissimo pro utilitate omnium Christianorum editas laudamus, approbamus et confirmamus, tanquam in aeternum valituras, et si quis ausu temerario, inimico humani generis suadente, quocumque modo has infringere tentaverit: indignationem Dei omnipotentis, et beatorum Petri et Pauli apostolorum se noverit incursum.

EXTRAVAGANTES,

QUAS

NONNULLI XI COLLATIONEM APPELLANT.

TIT. I, vel TIT. XIX.

QUOMODO IN LAESAE MAJESTATIS CRIMINE PROCEDATUR.

HENRICUS SEPTIMUS divina favente gratia Romanorum imperator, semper Augustus.

Ad reprimendum multorum facinora qui ruptis totius debite fidelitatis habentis, adversus Romanum imperium, in cujus tranquillitate totius orbis regularitas requiescit, hostili animo armati conantur nedum humana, verum etiam divina praeccepta, quibus jubetur, quod omnis anima Romanorum principi sit subjecta, sceleratissimis facinoribus et assiduis rebellionibus demoliri: ne ex eorum absentia, in detestando laesae majestatis crimine processus et sententia retardentur, et tanti sceleris nefanda temeritas remaneat impunita: hac edictali, Deo propitio, perpetuo valitura lege sancimus, ut in quocumque laesae majestatis crimine, et maxime, ubi contra Romanorum imperatores vel reges aliquid quod dictum tangat asseratur commissum, possit procedi per accusationem, inquisitionem, seu denuntiationem, summarie et de plano, sine strepitu, et figura iudicii, prout illi, qui jurisdictioni praest, videtur expedire. Ad hoc, si qua communitas, corpus, vel collegium, vel alia quavis persona, cujuscunque status, dignitatis, vel conditionis existat, super dicto crimine citata, vel citatum neglexerit in termino personaliter vel legitime comparere: contra ipsam vel ipsum perinde ac si praesentialiter omnibus interesset, vel lis foret legitime contestata, tam ad receptionem testium, et eorum publicationem, et sequentia, quam ad definitivam sententiam, et ejus executionem procedatur: legibus et consuetudinibus non obstantibus quibuscumque. Hanc autem generalem legem nostram extendi jubemus ad praeterita<sup>1</sup>, praesentia et futura: quam legem ex nunc absque al-

TIT. I. — 1. L. 7, C. de legib.

terius temporis expectatione transcursum suum integrum vigorem decernimus obtinere.

TIT. II, vel TIT. XX.

QUI SINT REBELLES.

*Idem ad perpetuam rei memoriam.*

Quoniam nuper est ad auditum nostrum deductum, quod inter nonnullos fideles et subditos nostros provinciae Lombardiae, aliorumque locorum Italiae disceptationes et dubia saepius oriuntur, an infidelis et rebellis imperii quisquam reputari debeat, nisi prius per nostrae majestatis sententiam condemnatus appareat: et nos attendentes quod acta prava malorum potius quam verba sententiarum ipsos faciunt poena condignos, et eo ipso quod quis peccat, correctionem meretur: et quanto plus differtur poenitentia, tanto amplius culpa crescit, et gentibus perniciosius in exemplum transit. Tenore praesentium declaramus, decernimus, et pronuntiamus, quod illi omnes et singuli sunt rebelles, et infideles nostri imperii, qui quomodocumque publice vel occulte contra nostrum honorem et fidelitatem rebellionis opera faciunt, et contra nostri imperii prosperitatem aliquid machinantur: contra nos, seu officiales<sup>1</sup> nostros, in his quae ad commissum eis officium pertinent, rebellando. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam declarationis et pronuntiationis infringere, vel ausu temerario contra ire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem nostram, et poenam mille librarum nostrae camerae solvendarum se noverit incursum. — Data Pisis 4 nonas aprilis, regni nostri anno quinto, m.cccxii.

TIT. II. — 1. Adde L. 3, in pr. C. ad leg. Jul. majest.